



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Disputatio V. De Causa Efficiente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

tes autem non sibi invicem pars intrinseca, ac proinde nec causa intrinseca, ergo, &c. vide Resol. 1^{am} Dub. sequentis.

D V B I V M II.

Quid causa materialis & formalis.

R E S O L U T I O I.

I. Ico 1^o. causa materialis est, quæ communicat esse formæ sustentando, vel ex qua educitur forma, ita scilicet ut eâ præcisè cessante, desinat forma. pro quo vide dictâ lib. 1^o. Disp. 3^a. Dub. 4^o.

VI. Nec dicas Aristotelem hoc libro cap. 3^o. illam aliter definire, videlicet *ex qua cum insit, aliquid fit*; nam hæc coincidit cum nostra, & illius sensus est, *ex qua aliquid fit*, id est, forma educitur, *cum insit*, id est, cum forma sit in illa tanquam subjecto educationis: unde *ly insit*, non significat idem, ac esse per modum partis intrinsecæ in composito; quia

DISPUTATIO QUINTA.

De Causa Efficiente.

D V B I V M I.

Quid Causa efficiens, & quotuplex.

R E S O L U T I O I.

I. Ico 1^o. causa efficiens est, quæ communicat esse rei agendo, sive per actionem realem: per *ly agendo* exclude inprimis causam materialem, quæ, ut supra explicuimus, communicat esse sustentando sine ullo influxu, etiam passivo, à se emanante; item causam formalem, quæ etiam sine ullo influxu, & mediâ tantum unione, communicat esse denominatum: denique finalem, quæ, non per actionem realem, sed intentionalem, communicat esse.

II. Paulò aliter causam efficientem definit Aristoteles, videlicet, *id unde est primum mutationis principium*; sed coincidit ista causæ efficientis definitio cum nostra, si sub *ly primum* intelligatur ordine executionis, & per *ly mutatio*, intelligatur quælibet actio, tam creativa, quameductiva.

R E S O L U T I O II.

III. Ico 2^o. causa efficiens dividitur 1^o. variis modis Disp. 3^a. Dub. 1^o. recensitis; sed præterea, in principalem & instrumentalem.

IV. Causa principalis, est, quæ habet virtutem productivam effectus minoris vel æqualis secum perfectionis, ut ignis respectu caloris, aut alterius ignis; Instrumentalis, est, virtus productiva effectus maioris perfectionis, vel indebiti, licet minoris perfectionis: ut calor respectu ignis, aqua baptismalis respectu gratiæ: alii paulò aliter causam instrumentalem accipiunt, 1^o. pro omni causa subordinata,

sic causa materialis non distingueretur à causa formali, ut consideranti patebit, ac proinde neque ex hac definitione colligi potest Aristotelem agnovisse causam materialem esse causam intrinsecam compositi, in quibus multi decipiuntur.

R E S O L U T I O II.

VII. Ico 2^o. causa formalis est, quæ communicat esse denominatum subjecto, sive denominando subjectum, vel quæ dat suam denominationem per modum actus potentiae. Hinc liquet causam formalem posse habere causalitatem in materiam, licet illa eiset in genere effectus causæ materialis materiâ posterior; nam causa formalis non debet esse prior suo effectui, sed simul naturâ sunt causa & effectus formalis, sive forma educita & materia informata, ut supra vidimus. Ex his

VIII. Colliges causam materialem, & formalem, tam esse causas extrinsecas respectu suorum effectuum, quam causam efficientem respectu effectus immanentis. pro qua sit

quomodo omnis creatura dicitur Dei instrumentum: 2^o. pro omni accidente disponente subjectum ad recipiendam formam à causa principali producendam; neque his modis incongruè accipitur; quare etiam acceptionibus his pro occasione uti poteris.

V. Adde, causam instrumentalem rectè assignari triplicem; unam artificialem; aliam naturalem; aliam supernaturalem: artificialis est, quæ ab arte, vel agente libero assumi solet ad aliquid efficiendum *vi suæ quantitatis & figure*, ut malleus à fabro, sigillum à Secretario: naturalis est, quæ *vi sua* producit effectum maioris perfectionis: supernaturalis est, quæ *supra vires naturæ suæ elevata*, effectum aliqui indebitum producit, ut aqua baptismalis gratiam.

D V B I V M II.

Quæ sit causalitas causæ efficientis, & an sit aliquid realiter distinctum à causâ efficiente, termino, & omnibus ad agendum prærequisitis.

VI. Ante Resolutionem suppono duplicem assignari debere causalitatem; in actu primo scilicet, & in actu secundo, sicut assignatur duplex causa: uti enim causa in actu primo est causa potens operari, ita causalitas in actu primo est virtus, quæ causa constituitur potens operari: & uti causa in actu secundo est causa actu operans, ita causalitas in actu secundo est actio, seu operatio, à qua causa denominatur actu operans effectum. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O II.

VII. Ico 1^o. causalitas causæ efficientis in actu primo est virtus, quæ causa constituitur potens operari: in actu secundo, est actio à qua

causa denominatur actu agens sive operans: 1a Pars est communis omnium: 2a, verò est contra Fonseca 5o. Metaph. q. 13. Soncinam ibidem q. 4. Masium hinc q. 3. & PP. nostros Complut. etià hinc Disp. 10.

VIII. Probatur hæc conclusio, tum ex proportione causalitatis ad suam causam, de qua in supposito: tum quia illis præcisè positus ponitur causa in actu 1o, & causa in actu 2o; nec quidquam aliud commodius assignari potest, in quo constituatur causalitas in actu primo, aut in actu secundo, ergo, &c.

IX. Nec dicas cum PP. Complut. illam Actionem non tribuere suam denominationem nisi ut exercitâ; nam per *ly exercitâ* intelligis ipsam ut positâ extra causas, præscindendo ab agente quod denominet? & sic loquimur; vel ut positam extra causas & ut concretam cum agente? & sic absurdum dicitur, quia, cum ut sic sit ipsum agens concretum sumptum, sequitur, ipsum agens, & nõ ipsam, tribuere suam denominationem: quasi diceret, non albedinè, sed albû, tribuere denominationem albi, quo nihil absurdius.

X. Confirmatur Resol. quoad causalitatè in actu 2o sive actionè (pro causalitate enim in actu 1o, res clara est: dum aqua producit frigus in manu, in illa productione quatuor tantum (exceptis conditionibus) reperuntur, aqua, frige factio, frigus & manus; atqui aqua, frigus & manus non sunt ratio formalis, per quam aqua denominatur formaliter in actu 2o frige factio, ergo, &c. Probatur minor, quia ista tria possunt esse simul, & tamen aqua nõ esse formaliter in actu 2o frige factio; imò nec efficienter, casu quo v. g. frigus produceretur à terra, vel Deo, ergo, &c.

XI. Dices, cessante Actione, causa efficiens denominatur adhuc causa effectus, ut Pater respectu Filii adulti jam diu transactâ generatione, ergo, &c.

XII. Resp. distinguendo antecedens, cessante Actione causa denominatur actu efficiens & participialiter, nego antecedens; denominatur potentia efficiens, seu potius effectrix (si generatio sit successiva & non pernianens) & nominaliter, eò quod fecerit aliquando vel facere possit, concedo antecedens; sed hoc modo, Pater est Pater respectu filii adulti, non verò priori modo.

RESOLUTIO II.

XIII. **D**ico 2o, causalitas eductiva sive eductio (de creatione enim peculiariter infra) est aliquid realiter distinctû à causa efficiente, termino & omnibus ad agendum prærequisitis. Ita communius Scotistæ, & Murcia 2. Phys. Disp. 4. q. 12. ubi proclat Paulû Venetum, Aureolum, Vallesium, & Ferrariensem. Ita similiter communissimè PP. Societ. præsertim recentiores, contra Nominales, Ocham, Gregor. Aliaco, Rubion. Gabriëlem, quos sequitur Wadingus de Incarn. Disputat. Procemiali, & ex aliis contra Soncinam 5o. Metaph. q. 4. Iavellum, Sotum, Toletum, &c.

XIV. Probatur 1o. Conclusio, unio ex dictis l. 1o. Disp. 6a. Dub. 10. distinguitur realiter à causa efficiente, materia, forma & conditionibus ibi allatis; ergo & eductio à causa efficiente, termino, &c. consequentia patet, quia eductio est unio; unde sicut formæ non uniantur seipsis, sed per unionem realiter distinctam, ita nec fiunt seipsis, sed per actionem realiter distinctam, ergo, &c.

XV. Probatur 2o, actus sensuum, voluntatis, intellectus, &c. sunt aliquid realiter distinctû in omnibus sententiâ à potentia, objecto, & omnibus conditionibus; ergo & actio à causa efficiente, termino & omnibus conditionibus: consequentia tenet à pari.

R. P. Francisci Bone Spei Physica.

XVI. Probatur 3o, in opposita sententiâ dicendum, hanc causam efficientem esse ita determinatam ad hunc numero effectum positus omnibus conditionibus ponendum, ut per Deum impediri non possit; & hunc numero effectum esse ita alligatum ad hanc numero causam, ut ab alia per Deum produci non possit, prout de ipsa actione philosophamur; sed hoc nimium Dei potentiam coarctat, & omnino gratis adstruitur, ergo, &c. Probatur major, quia alioqui esset indifferentia in causa ad producendum hunc numero effectum præ alio, & etiam esset indifferentia in effectu ad produci ab hac potius causa, quàm ab alia, quæ per modum Actionis tolli deberet, ne transiretur per contradictorio ad contradictorium sine mutatione, ergo, &c. Probatur minor, quia sic Deus nullos effectus creaturæ posset se solo ponere, magis quàm Actiones creaturarum: deinde, quòd gratis id adstruatur, patet, quia nulla efficax ratio adfertur, quæ id probet.

XVII. Nec dicas 1o, idem dicendum de effectu, quod dicimus de Actione productiva effectus: 2o sic vitari multiplicationem actionum sine necessitate: nam ad primum (præterquam quòd hinc sequatur à simili idem etiam dicendû de forma, ac de unione; ac proinde non dari unionem realiter distinctâ, contra dicta supra) non potest dici idem de effectu, ac de Actione; quia de Actione creaturæ dicendum, illi ita essentialiter alligari determinato principio, ut per Deum, aut impediri non possit positus causâ & omnibus requisitis, aut à solo Deo pendere, ne detur processus in infinitum, qui non datur, si effectus quicumque non ita alligetur, sive si non sit identificatus Actioni; sed in Actione sistatur: ad secundum verò Resp. isti axiomati de non multiplicandis entibus sine necessitate, hoc è diametro opponi, *Non sunt alliganda entia essentialiter determinatis principiis sine necessitate*: vel etià hoc, *Non sunt augende entium intrinsece perfectiones sine fundamento*: pro quo vide dicta lib. 1o. Disput. 4. Dub. 3o. Adde tamen 1o, hinc esse necessitatem multiplicandi Actiones, ut patet ex Resolutionis probationibus. Adde 2o, quòd idem specie effectus non alligetur ad unam specie causam; ergo nec idem effectus numero ad unam numero causam alligatur. Adde 3o, effectum esse indifferentem, ut fiat per generationem à Deo & creatura, vel per creationem à solo Deo, aut à Deo & creatura; ista autem indifferentia tolli non potest, nisi per Actionem ab effectu realiter distinctam. Adde 4o effectum, ignem B. v. g. per te esse indifferentem ut ab igne A. ejus causa 1o productiva pendeat, vel non pendeat; quia per te à solo Deo 2o instanti post ignis A. destructionem conservatur, quod non posset, si entis productio ab igne A, ipso & conditionibus prærequisitis, non distingueretur.

XVIII. Confirmatur conclusio, conditio realis ad agendum, & conditionariû, sive Actio, distinguuntur debent realiter adæquatè, non secus ac causa realis & effectus; ergo Actio ut summum identificari potest causæ & effectui; sed causæ nõ identificatur, ut patet, quia potest esse causa, & non esse effectus, ut homo, qui gignit, non existente filio, ac per consequens nõ existente actione ut terminatâ ad illum effectum: nec etiam effectui; quia potest etiam esse effectus, non existente causâ, ut filius genitus non existente patre, qui genuit, ac per consequens non existente actione ut egrediente ab illa causâ: nec etiam utriusque; quia potest esse causa hinc, & filius mille leucis hinc; sed his casibus non potest intelligi esse Actio
I hujus

for-
te ex
ovif-
cam

mu-
five
eno-
te li-
atem
cau-
malis
tura
ducta

ilem,
effe-
ctus

men-
obje-
cipali
acci-
atio-

gna-
tura-
uz ab
ficien-
bro,
i sua
ralls
alio-
gra-

fit

cau-
cum-
sa in
litas
niet
o est
cum-
natur

actu
nietur
qua

hujus causæ ad hunc numero effectum; ergo Actio non potest identificari causæ, effectui & omnibus conditionibus: adde hõc datõ conditiones solùm in servire posse ad hoc, ut causæ se denominet causantem, & effectus se effectum, ac proinde solùm debere esse conditiones ad existentiam causæ & effectus (si Actio illis identificetur); quod est omnino falsum; quia approximatio v.g. & similes conditiones non sunt conditiones ad existentiam causæ & effectus; quia, ut patet ex tertia probatione, potest hic poni causæ, & Romæ effectus, ergo, &c.

xxix. Probat aliter P. Oviædus Physicæ controv. 12^a. p. 1^a. Actionem non posse identificari causæ, ratione sumptâ (inquit) ex scriptis Doctissimi Societatis Magistri: vel illa entitas, quæ simul est causæ & productio, dependet à Deo per seipsam, vel per aliam actionem: si per aliam actionem, Actio non est, quia actionis non datur Actio: si per seipsam; ergo est pura productio, & non causæ. Sed

xx. Contra 1^o, paulõ infra docet P. Oviædus, posse componi Actionem & Passionem cum identitate terminum: infero contra eundem; ergo & cum identitate causæ: deinde retorqueo totum argumentum allatum in actionem identificatam termino; vel illa entitas, quæ simul est productio & terminus, dependet à causæ per seipsam, vel per aliam actionem: si per aliam actionem, Actio non est, quia actionis non datur Actio: si per seipsam; ergo est pura productio, & non effectus.

xxi. Contra 2^o, dic illam pendere à Deo per seipsam, sicut in dicta sententia P. Oviædi penderet effectus à causæ; non tamen fore puram actionem, magis quàm foret ille effectus, aut magis quàm sit Pater in Divinis respectu Filii, quem per seipsum finè generatione inter utrumque media realiter producit; quia videlicet multas perfectiones includeret, quas non includit Actio modus.

xxii. Objicies tamen 1^o, modus tantum ponitur ad tollendam indifferentiam, quam habet modificatum ad aliquem effectum formalem; sed modus Actionis non tollit indifferentiam ignis v.g. ad calefaciendum; ergo est frustraneus: probatur minor, quia positus omnibus ad calefaciendum requisitis, & inter illa concursu Dei in actu primo finè ullo impedimento ad actum secundum, quod importat concursus in actu primo; ignis utpote causæ necessaria, quæ positus omnibus ad agendum requisitis, necessariõ agit, non est indifferens ad calefaciendum, vel non calefaciendum, ergo, &c.

xxiii. Respondeo præterquam quòd hæc obiectio solùm militet contra actionem causæ necessaria, & non contra actionem causæ liberæ, quæ positus omnibus ad eligendum requisitis potest agere & non agere, negando minorem: ad ejus probationem; distinguo antecedens; positus omnibus, &c. ignis non est indifferens indifferentiã oppositã determinationi radicali ad calefaciendum, concedo antecedens: indifferentiã oppositã determinationi formali ad calefaciendum, nego antecedens: determinatio autem formalis est, id quo præcisè posito habetur effectus formalis, & quo præcisè ablato tollitur, ut albedo respectu albi: determinatio verò radicalis, est id, ad quod præcisè positu necessariõ sequitur id, quod tribuit effectum formalem: unde causæ necessaria, positus omnibus ad agendum requisitis, & inter illa concursu Dei in actu primo finè ullo impedimento ad actum secundum, necessariõ quidem agit consecutivè, non tamen hoc ipso forma-

liter: ille enim concursus Dei in actu primo nõ impeditur ad actum secundum, & cætera ad agendum requisita, non sunt forma, per quã causæ necessaria constituitur formaliter agens in actu 2^o. Vnde si Deus efficaciter vellet corvum jam esse album, corvus, nõ posset non esse consecutivè albus; non esset tamen formaliter albus, per istam Dei voluntatè efficacem; sed per formam albedinis, quæ est objectum istius voluntatis, & deberet consecutivè in corvo poni.

xxiv. Objicies 2^o, optimè intelligitur forma potius corrumpi ab hac causæ, quàm ab illa, finè modo corruptionis superaddito; ergo similiter optimè intelligitur effectus potius produci ab hac causæ, quàm ab illa, finè modo productionis, sive Actionis, superaddito: Pro solutione hujus argumenti

xxv. Nota causam corruptivam esse duplicem, unam directè, & est, *Quæ corrumpit per subtractionem concursus conservativi*; aliam indirectè, & est, *Quæ corrumpit per improductionem formæ incompatibilis in eodem subjecto, vel per interpositionem obstaculi ad actionem conservativam*. Hoc notato;

xxvi. Resp. negando consequentiam; est enim disparitas, quòd corruptio & productio sint formæ contradictoriè oppositæ, unde intelliguntur esse modis oppositis: vel enim corruptio est directæ, & est privatio entis, per quam numquam intelliges productionem: vel indirectæ, & fit per productionem antecedenter formæ incompatibilis, vel obstaculi, &c. Deo vel aliã causæ consequenter subtrahente concursum conservativum; & sic ex opposita ratione (quia oppositorum opposita est ratio) productio fit per productionem dispositionum antecedenter, & remotionem obstaculi ad effectum, Deo vel aliã causæ consequenter ponente concursum productivum, sive productionem formalem.

D V B I V M I I I.

An, & quomodo Actio & Passio inter se differant; & in quo subjecto sit Actio modus.

Ante Resolutionem
xxvii. Suppono, Passionem sumi dupliciter: 1^o, improprie, & magis grammaticaliter, profitione, sive receptione, esse ab agente quomodocumque; id est, tam per creationem, quàm per educationem: 2^o, proprie & magis ad mentem Philosophorum, pro receptione formæ in subjecto sustentationis, sive educationis: si Passio sumatur 1^o modo effectus dicitur passivus; si 2^o, solum subjectum passivum dicitur. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O I.

xxviii. **D**ico 1^o, Actio & Passio 1^o modo, si-
guuntur realiter.

xxix. Probat, quia vox activa & passiva in rigore sermonis solõ modõ exprimendi differre debent, ergo, &c. Probat antecedens, quia sicut eodem amore, quo pater amat filium, filius amatur à patre, ita eadem generatione, quã pater generat filium, filius generatur à patre, & sic de quolibet alio; nam per idipsum, quo agens rem facit, res fit ab agente, ergo, &c.

xxx. Subsumo, sed id quo Pater amat, generat, aut facit, est Actio, & id quo filius amatur, generatur, aut fit, est Passio 1^o modo, sive profitione, sumpta, ergo, &c.

xxxi. Non puto ullos esse qui in re hanc negent; unde cum P. Hurtad. Disp. 16. Metaph. Sect. 4^a. nihil aliud (licet fusc) probet, adversarios non habet.

RESOLUTIO II.

xxxii. **D**ico 2^o, contra Scotistas communiter, & Antonium Andreas lib. de 5. principiis quærit. 9^a. PP. nostros Complut. P. Ioan. à S. Thoma, & multos Thomistas, quos hic citant. Actio & Passio 2^o modo sive pro receptione formæ in subiecto sustentationis sumptâ, non distinguuntur realiter. Ita noster Bacho in 2. dist. 34. q. 1. art. 2^o. §^o. 2^o. & alii, ut Rubio hic Tract. 1^o. q. 7. Mafius & PP. Societatis communiter.

xxxiii. Probatur 1^o, autoritate Aristotelis, qui hoc lib. c. 3^o. Textu 18^o. ait, *Actus est unus amborum*, scilicet quod movet & movetur, sive agentis & passi, unde infra docet Actionem & Passionem non aliter differre, quam acclive & declive, quam *viam Thebis Athenas; & Athenis Thebas*, quorum unum non potest concipi sine alio, licet diversimode concepto, ut patet, ergo, &c.

xxxiv. Probatur 2^o, eodem modo se habet Actio transiens ad agens, sicut se habet cognitio ad objectum; sed, eadē entitate cognitionis, vivens cognoscit objectum, & objectum extrinsecè denominatur cognitum; ergo & eadē entitate Actionis transeuntis Passum patitur, & agens denominatur extrinsecè agens.

xxxv. Probatur 3^o, Actio eductiva est ultima & actualis determinatio in ratione agendi, & in ratione recipiendi; ergo Actio & Passio ut receptio, &c. non distinguuntur realiter: probatur antecedens, quia si Actio non esset ultima & actualis determinatio in ratione recipiendi, neque receptio esset ultima & actualis determinatio in ratione agendi; unde deberet Actio recipi per Passionem ut receptionem realiter distinctam, & hæc fieri per Actionem realiter distinctam, & hæc iterum recipi per Passionem, ut receptionem, realiter distinctam, & sic in infinitum; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

xxxvi. Confirmatur, non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed hoc alioqui fieret, ergo, &c. Probatur sequela, quia sicut una entitas unionis sufficit ad uniendo duo extrema, una entitas visionis ad videre & videri, ita una Actio ad agere & pati sive recipi, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

xxxvii. **D**ico 3^o, Actio & Passio utroq; modo sumpta, differunt conceptu formali.

xxxviii. Probatur clarè ex Aristotele supra; sunt enim quidem eadem omnino connotata, sed diverso modo concepta; nam sicut declivè est respectus sursum ad deorsum, & acclivè deorsum ad sursum; ita Actio est respectus agentis ad passum, Passio Passi ad agens, ergo, &c.

RESOLUTIO IV.

xxxix. **D**ico 4^o, Actio eductiva modus (de qua hic, & non de creatione, quæ non habet subiectum sustentationis; nec etiam de relatione prædicamentali agentis ad passum, quomodo plerique, qui illam ponunt in agente, eam sumunt) non est in agente aut effectu sustentativè, sed in passo, sive subiecto ipsius effectus; ita noster Bacho in 2^o. dist. 34. q. 1. art. 3^o. PP. nostri Complut. hic Disp. 17. q. 4. & plurimi, quos citant è Thomistis antiquioribus & junioribus contra Scotistas communissimè.

xl. Probatur 1^a Pars, ab omnibus communiter ex Aristotele; quia *necesse non est movens moveri*, & alioqui Deus agendo, sive movendo per educationem, moveretur sive mutaretur: verum fortè Aristoteles per hoc nihil aliud vult, quam dari unum

primum motorem; quod verò additur; fore ut Deus movendo per educationem mutaretur, falsum est; quia immutabile, quod de novo recipit, non magis recipiendo mutatur; quam imperfectibile, quod de novo unitur, ut Verbum respectu humanitatis, uniendo se, mutetur. Quare aliter

xli. Probatur conclusio, Actio eductiva est fictio formæ in subiecto sustentationis, sive dependentia formæ à subiecto sustentationis; ergo est in passo sustentativè, sive tamquam in subiecto sustentationis; probatur consequentia 1^o, quia in eo maxime distinguitur à creatione, quæ tantum est in passo tamquam subiecto adhesionis, id est intimè præsentè, ut patet in creatione animæ rationalis: 2^o, quia alioqui, vel esset sustentativè in agente? & hoc non, quia transiens plerumque: vel in termino? & hoc etiam non, quia alioqui posset conservare formam eductam extra subiectum naturaliter, non secus ac conservat creatio animam rationalem præcisè, quia non est in corpore tamquam subiecto sustentationis, ergo, &c.

xlii. Probant Hurtadus, Arriaga, Oviedus & alii communiter, actionem eductivam non posse esse in termino, sive effectu, sustentativè, quia alioqui terminus, sive effectus, esset prior naturâ actione, per quam fieret, quâ, utpote se tenente ex parte causæ efficientis, debet esse posterior; verum hæc probatio iam supra rejecta est, nec video, cur effectus non possit esse posterior naturâ in genere effectus causæ efficientis, actione per quam fit, & prior naturâ eadē actione in genere causæ materialis; quia id nihil aliud est, ut toties supra dictum est, quàm effectum causæ efficientis sustentare, sive subiectare actionem per quam fit, quàm actionem & effectum esse simul naturâ in diverso genere, &c. quod omnes admittunt quoad duplex genus causæ, efficientis scilicet & formalis, in dicta actione & effectu; quidni & in duplici genere causæ efficientis & materialis? cum contra actionem non militent rationes supra allatæ ad quæstionem, *Cur naturaliter materia & forma non se causent in genere causa materialis & efficientis*.

xliii. Objicies, actiones immanentes sunt in agente, & transeunt non denominant passum agens, ergo transeunt non sunt in passo.

xliv. Respondeo distinguendo antecedens pro 1^a parte, actiones immanentes sunt in agente ut agente formaliter, nego antecedens; ut passo formaliter & ut agente materialiter, concedo antecedens: deinde transeat antecedens, nego consequentiam; est enim dispar ratio; quia dici potest actiones illas simul esse in agente & passo, cum sit intrinsecè eadē entitas agentis & passi respectu illarum, quod dici non potest de transeuntibus, quia respectu illarum diversa est realiter entitas agentis & passi: actionem autem immanentem voco illam; quæ manet in agente; transeuntem, quæ transit ad passum realiter ab agente distinctum.

xlv. Respondeo 2^o, distinguendo etiam antecedens pro 2^a parte; actiones transeuntis, non denominant passum agens materialiter, id est, habens intrinsecè sive patiens intrinsecè actionem, nego antecedens: non denominant passum agens formaliter, concedo antecedens; nec mirum, quia esse agens formaliter actione transeunte est denominatio extrinsecè, quæ convenit non potest subiecto, cui forma est intrinsecè; unde à cognitione & visione patiens anima non est cognita, vel

oculus visus : ex his patet actionem transeuntem, non esse perfectionem intrinsecam agentis, sed extrinsecam.

D V B I V M I V.

Vnde Specificentur actiones tam immanentes quam transeuntes.

ANtè Resolutionem, quæ mihi obscura & difficilis admodum videtur,

XLVI. Suppono 1^o, contra P. Ovidum de anima controv. 15^a. specificare hic non sumi, prout idem est, ac rei speciem facere; quia cum non detur species ante intellectum, id soli intentioni specificanti convenire potest; sed rem speciei alicujus facere, seu ad esse alicujus speciei determinare; de quo latius infra; unde specificatio est determinatio ad esse talis speciei, potius quam alterius.

XLVII. Suppono 2^o, eundem Ovidum ex hypothese falsa causalitatis intrinsecæ & extrinsecæ, partiri specificationem in intrinsecam & extrinsecam; 1^o quia, sicut nulla datur specificatio intrinsecæ, eò quòd nulla detur causa intrinseca (puta per modum partis intrinsecæ, de qua loquitur); ita nulla datur specificatio intrinseca, eò quòd nullum datur specificativum intrinsecum (puta per modum partis specificativæ intrinsecæ); nam omnia omnino argumenta, quæ supra attulimus contra causam intrinsecam, per modum partis intrinsecæ, hic militant contra specificativum intrinsecum per modum partis specificativæ intrinsecæ, ut statim patebit consideranti; sed maxime, si attendatur, juxta præfatum authorem, specificativum verè esse causam specificati: 2^o, quia specificatio activa & passiva, secundum ipsum & nos supra, solà ratione distinguuntur; sicut autem nullum datur prædicatum passivè genericatum intrinsecè, sed extrinsecè & per mentem tantum, ita nullum datur prædicatum passivè specificatum intrinsecè, sed extrinsecè & per mentem tantum: 3^o, quia specificatio est determinatio ad esse istius speciei, potius quam alterius; debet autem illa esse extrinseca, non secus ac genericatio, sive determinatio ad esse istius generis, potius quam alterius, ut omnes fateri tenentur. Hinc

XLVIII. Suppono 3^o, specificationem melius dividi in formalem & fundamentalem: formalis est ipsa specieitas, sive prima intentio formalis specificans, & hæc est omnino extrinseca, ut patet: fundamentalis est entitas cujuslibet rei apta per talem intentionem concipi, quæ nulli est intrinseca per modum partis, sive componentis, sive specificantis; quia, quælibet entitas est intrinsecè indivisibilis, sive non habet diversâ prædicata intrinseca, ut clarè patet in homine: vel enim *homo* sumitur ut unum formaliter? & tunc est realiter ipsa cognitio corporis, animæ rationalis, & unionis inter illa, per modum unius; vel fundamentaliter? & tunc nihil aliud est, quam corpus, anima rationalis, & unio; illa autem non sunt sibi mutuò prædicata intrinseca per modum partis intrinsecæ, licet sint per modum formæ sese denominantis contingenter; sed secundum se & seorsim, sunt res realiter & objectivè simplices ac indivisibiles, ut constat ex dictis in Log. Tract. 10. Disp. 2. de præcis. objectivis, quam etiã sententiam defendit P. Ovidus; unde non possum satis mirari, quomodo loco citato dicat dari posse potentiam visivam superadditam in homine & equo, quæ specificetur ab homine & equo, non secundum rationes specificas uniuscujusque, sed secundum ratio-

nem communem animalis: vel enim vult illas rationes genericam & specificam esse intrinsecè in homine & equo? & hoc non potest, quia (præterquam quòd Logicæ contr. 5^a. punct. 3^o. n. 10. & de Anima contr. 1^a. punct. 8^o. n. 20. dicat esse extrinsecas, & speciem esse entitatem simplicissimam omnis corporis expertem, unde sibi apertè contradiceret) jam essent intrinsecè indivisibiliter idem, ac proinde si potentia illa visiva specificetur secundum unam rationem, specificatur & secundum aliam; vel vult illas esse extrinsecas? & tunc illa potentia visiva non specificatur ab homine & equo, sed à tali v.g. generica cognitione hominis & equi, quod procul dubio non somniabit.

XLIX. Suppono 4^o, actionem rectè dividi in creationem, generationem, accretionem, alterationem, & motum localem: creatio autem & generatio ad substantiam aut accidens indifferenter terminantur; accretio ad quantitatem; alteratio ad qualitatem; motus localis ad ubi: eadem tamen numero actio potest terminari ad diversos specie terminos, haud secus quam visio ad albedinem & nigredinem; eadem unio ad corpus & animam, ut patet. His autem suppositis, fit

R E S O L U T I O I.

Rejiciuntur sententiæ communes.

I. **D**ico 1^o, actiones & relationes non specificantur à terminis tamquam signis, sive etiam hoc sensu, quòd ubi est terminus specie diversus, necessariò etiam sit diversa specie actio, quòd ferè omnes communiter.

II. Probatur 1^o, quia sicut ab una indivisibili potentia possunt esse duo effectus specie diversi, ut ab eodem intellectu assensus & dissensus, ab eadem voluntate amor & odium; ita, saltem per Deum (quod sufficit) ab una actione indivisibili duo termini, sive effectus specie diversi.

III. Nec dicas istam potentiam esse tantum numero indivisibilem, & non specie; in se enim (inquit) virtualiter est tot specierum, quot habet specie distinctos effectus; ne id, inquam, dicas; quia si eadem entitas intrinsecè objectivè indivisibilis (quales esse res omnes realiter simplices supponimus ex dictis in Logica Tract. 1^o. Disp. 2.) per te possit respicere effectus aut terminos specie distinctos, ut in se maneat intrinsecè objectivè indivisibilis, quidni idem poterunt duæ res intrinsecè objectivè diversæ, & solo numero distinctæ, sic ut maneat tales?

IV. Subsumo, sed à fortiori à duabus potentiis solo numero distinctis, possunt esse duo effectus specie distincti, ut ab intellectu Petri assensus, & ab intellectu Pauli dissensus, ut patet; ergo etiam à fortiori à duabus actionibus solo numero distinctis, possunt esse duo termini, sive effectus specie diversi; ergo actiones non specificantur à terminis, &c.

V. Nec dicas esse disparitatem, quòd actiones sint modi; potentia verò res: quia quòd actiones sunt modi, & non res, ut summum concludit aliam esse numero actionem, quæ terminatur ad effectum specie distinctum ab effectu alterius; quia videlicet mutato quoad numerum modificato, quod tunc necessariò fit, quoad numerum mutatur modus; non verò concludit esse specie distinctam actionem.

VI. Nec infes cum Arriaga Phys. Disp. 9^a. n. 66. & 70. Actiones illæ habent respectum essentialem ad duas terminos, sive effectus, specie diversos; et-

ergo habent etiam respectum specie diversum; quia respectus diversificatur specie ex diversitate termini; sed ille respectus est idem realiter cum ipsis actionibus; ergo hæc sunt inter se specie diversæ. Multa enim continet falsa hæc Instantia, 1^o, quod respectus intrinsecus diversificetur, specie ex diversitate specifica termini (quomodo intelligi debet, alioqui nihil concluderet) cujus contrarium jam est in questione, & inde sequitur causam esse specie intrinsecâ diversam pro singulis specie diversis potentiis; & potentias esse intrinsecâ specie diversas pro singulis effectibus specie diversis, quod ex hac & sequenti resolutione patebit omnino esse falsum: 2^o, quia respectus ille essentialis non est ad terminos ut ab aliis specie diversos, sed ut ab aliis solo numero diversos; nam respectus ille, sive alligatio illa essentialis est realiter ante animam: species verò & specifica diversitas ab anima sola: deinde probavimus in Logica Tractatu 1^o. Disp. 2^a. Dub. 5^o. n. 242. omnia ante intellectû esse summè diversâ, utpote indivisibilissimè *hoc & hoc*. 3^o, vel respectus ille essentialis ad principium, ut specie diversus à respectu essentiali ad terminum, & à respectu essentiali ad subiectum (si detur) est actioni intrinsecus, vel non? si intrinsecus, ergo sunt in eadem indivisibili entitate prædicata intrinsecâ specie diversâ, quod inducit præcisiones objectivas, quas negat: si extrinsecus, nihil aliud erit, quàm eandem numero, & unius speciei entitatem dicere unum respectum, & alligationem unam ex parte sua ad tria specie diversâ, principium scilicet, terminum, & subiectum, quo dato, sic argumentor; potest eadem numero & unius speciei actio dicere unum respectum, & alligationem unam tantum ex parte sua ad tria specie diversâ, ergo & duæ, vel tres solo numero distinctæ ad duo, vel tria specie distincta, ita ut quilibet unum specie distinctum ab eo, quod alia respicit, respiciat. 4^o, quia (præterquam quod tota difficultas retorqueatur in ipsos terminos & principia, nec ostendi possit, quod sint specie distincta ante intellectum juxta nostram Resolutionem 4^{am}.) jam in questione est, unde specificetur respectus ille essentialis, & jam probavimus non posse specificari à termino, & probabitur Resolutione sequenti non posse specificari à principiis. Quare ad instantiam

LVI. Respondeo in forma, admissio antecedente, negando consequentiam; quia respectus ille essentialis non est ad terminum, ut specie distinctum, sed ut solo numero distinctum; eo tamen quoad numerum mutato, debet non secus ac modalis, numero mutari: Ex his liquet, quàm infirmæ sint resolutiones P. Arriagæ, quod actiones specificentur à principio, subiecto & termino, propter rationem allatam ex ipso numero 55^o.

LVII. Probatur 2^o, à duobus principiis specie diversis possunt esse duo effectus solo numero diversi, ut ab igne & calore A, calores, à sole & igne siccitates; ergo & à duabus actionibus specie diversis possunt esse duo termini solo numero diversi, ergo actiones non specificantur à terminis, &c.

LVIII. Probatur 3^o, Principia non specificantur ab effectibus, sive terminis, hoc sensu, quod ubi est effectus, sive terminus, specie diversus, necessariò etiam principia sint specie diversâ, ut patet in intellectu respectu assensus & dissensus; voluntate respectu amoris & odii; ergo neque principia, sive actiones, specificantur, &c. quia non minùs principia, quàm actiones, termi-

nantur ad effectus, licet hæc sint modi, illa res: de quo ante.

LIX. Nec dicas cum P. Oviedo hic, specificationem potentialium, sive Principiorum, à posteriori & quoad nos, non sumi ab uno effectu, seu termino; sicut specificatio actionum; sed ab omnibus actibus collectivè sumptis: ne id dicas, inquam, quia inde infero, nec actionem sumere specificationem ab uno specie effectu, seu termino; sed ab omnibus collectivè sumptis, non secus ac principia: quod verò mutato specie termino, mutetur actio, nihil refert; quia inde non sequitur, eam mutari specie, sed numero, eò quod essentialiter alligetur ad talem numero terminum, qui mutatur.

LX. Confirmatur Resolutio, sicut quilibet terminus, sive effectus, est indifferens, ut procedat ab uno, vel alio, ex diversis specie principiis, à quibus procedere potest, & ideo non specificat principium, sive illud ad esse talis speciei, potius quàm alterius, non determinat, ita ut illo specie mutato, necessariò mutetur specie principium; ita quilibet terminus est indifferens, ut procedat ab una, vel alia, ex diversis specie actionibus, à quibus procedere potest; ergo similiter specificare non potest actiones sensu dato, licet possit eas numero diversificare ob rationem sæpius datam.

RESOLUTIO II.

LXI. Dico 2^o, contra P. Oviedum hic: quælibet potentia (quod extendit ad actiones & Passiones) non specificatur à priori propriè & strictè ab essentia, à qua dimanat.

LXII. Probatur 1^o, quia sicut ab una indivisibili potentia possunt esse duo effectus specie diversi, ita & ab una indivisibili essentia duæ potentia specie diversi.

LXIII. Subsumo, sed à fortiori à duabus potentiis solo numero diversis, possunt esse effectus specie diversi, ut ab intellectu Petri assensus, ab intellectu Pauli dissensus, ergo similiter à fortiori à duabus essentis solo numero diversis possunt esse potentia, ac per consequens actiones specie distinctæ; si enim possit ab eadem indivisibili anima rationali emanare intellectus & voluntas, quidni intellectus ab una anima, & voluntas ab alia solo numero distincta emanare poterit? ergo quælibet potentia, ac per consequens actio, non specificatur, &c.

LXIV. Probatur 2^o, essentia muris & felis specie distinguuntur, sed ab illis emanant potentia visiva solo numero distincta; ergo quælibet potentia non specificatur, &c. Probatur assumptum, ut quid enim specie distinguerentur? cum attingant eadem omninò objecta, licet fortè aliter ob diversas organi dispositiones.

LXV. Probatur 3^o, à duabus specie distinctis potentiis possunt esse duo effectus solo numero diversi, ut ab intellectu Angeli & Petri diversa judicia de hoc principio, *Totum est majus sua parte*; ergo & à duabus essentis specie distinctis; potentia solo numero distincta.

LXVI. Confirmatur Resolutio: eodem modo se habet potentia ad essentiam, quo se habet effectus ad potentiam, vel actionem; sed effectus à potentia vel actione non specificatur, quia iidem specie à diversis specie, vel solo numero; distinctis potentiis per diversas specie, vel solo numero, actiones, esse possunt (ut probavimus supra;) ergo nec potentia specificatur ab essentia; quia similiter essentia spe-

cie, vel solo numero distinctæ, possunt eandem specie potentiam ponere, ut patet in potentia viviva muris & felis. Ex his

Colliges multò minùs actiones specificari à subjectis.

RESOLUTIO III.

LXVII. **D**ico 3^o Potentiæ, actiones & cætera entia specificatione formali specificantur à specieitate, sive primâ intentione formalitate illis esse aptû prædicari de multis cõpletè ut tota essentia universalis: unde illa sunt ejusdè speciei formalis, quæ in tali prædicabili de illis convenire possunt; diversæ, quæ convenire non possunt.

LXVIII. Probatur, quia sicut ante dictam intentionem non datur species formalis, ita nec distinctio specifica formalis, ac per consequens nec specificatio formalis; & hinc est, quòd esse *predicatum genericum, specificum, &c.* sint denominationes extrinsecæ, ergo, &c.

LXIX. Confirmatur refutatione aliarum sententiarum. Sed

LXX. Quæres quænam illa sint, quæ in tali prædicabili convenire possunt; hoc opus hic labor est; pro responsione tamen, sit

RESOLUTIO IV.

LXXI. **D**ico 4^o, potentiæ, actiones & cætera entia specificatione fundamentali specificantur à communi sensu Philosophorum.

LXXII. Probatur, quia ut sic non specificantur à principiis, neque à terminis, neque à subjectis, ut fusè probatum est; neque quoad nos ab intrinsicis suis; quia nos latent, siquidem nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; rerum verò intrinsecæ ad sensum non patent; deinde, cum res omnes sint formalissimè *hoc* intrinsecè sine ulla prorsus convenientia formali, nulla daretur species, aut aliud quodvis universale fundamentaliter, ac per consequens nec specificatio fundamentalis, quod omnes negant, quandoquidem omnes admittant formalem; sed tantùm daretur individuum fundamentaliter, & omnia essent fundamentaliter summè diversa, ut consideranti patebit, utpote *hoc* & *hoc* indivisibiliter intrinsecè, ergo, &c.

LXXIII. Subsumo, sed aliud non suppetit, quàm communis sensus à quo specificatione fundamen-

tali specificentur, maximè cum hæc specificatio fundamentalis debeat esse extrinsecæ, ut patet, ergo, &c.

LXXIV. Dices, communis ille sensus debet habere suum fundamentum, quod melius dicitur esse specificatio fundamentalis, quàm communis Philosophorum sensus, ergo, &c. Probatur antecedens pro 1^a parte; quia alioqui esset temerarius & irrationalis: probatur item pro 2^a parte; quia multa sunt entia, ad quæ non se extendit communis sensus, quæ tamen sunt specie, vel solo numero, distincta, ergo, &c.

LXXV. Respondeo distinguendo antecedens pro 1^a parte; sensus debet habere suum fundamentum apparenter verum, concedo antecedens, & hoc sufficit, ut moveat intellectum ad specificationem formalem; firmum & certum nego antecedens; nam sensus percipit Petrum & Joannem ut minus inter se differentes intrinsecè, quàm Petrus & equus, inter se intrinsecè differant, quod omnino falsum est in sententia negantium præcisiones objectivas, pro quo vide Log. T. 1^o. Disp. 2. quòd verò fundamentum sensus communis nõ sit firmum & certum, satis constat; dicit enim argentum & stannum, as & ferrum, &c. esse specie diversa ob diversitatem accidentium; ignem & aquam ob diversitatem effectuum; visionem & auditionem ob diversitatem objectorum, & sic de aliis, quæ dicuntur specie distincta propter quamdam proportionem & affinitatem ad hæc; quæ omnia quoad distinctionem specificam sunt fallibilia, ut vidimus, & nimis varia ut sint fundamentalis specificatio, maximè cum hæc debeat esse extrinsecæ.

LXXVI. Adde tamen, me facillè concessurum actiones specie mutari mutato principio, termino, aut subjecto specie diverso, duobus aliunde suppositis: 1^o, quòd secundum se dicant, ut actiones, respectum essentialem ad illa: 2^o, quòd illa specie distinguantur; quæ videntur authores omnes supponere; sed supponunt quod hic quæritur, ut consideranti patebit; & supponendo, cum faciant communem in eo sensum, Resolutionem hanc 4^{am} omnino confirmant; vel assignent rationem suæ suppositionis; quia hic contendimus, nullam ab eis assignari posse contra dicentem omnia, utpote indivisibilissimè *hoc* & *hoc* ante intellectum, esse ante intellectum summè diversa. Vide Logic. Disp. cit.

DISPUTATIO SEXTA

De causa Efficiente Creatæ.

DVBIVM I.

an causa creatæ aliquid verè efficiant.

RESOLUTIO.

I. **D**ico contra Petrum Aliacensem in 4^{um} Dist. 1^a. Quæst. 1^a. art. 1^o. cui videntur favere Gabriël ibidem art. 3^o. & Avicenna lib. 1^o. suæ sufficientiæ cap. 10. Ragul. Disp. 16. cap. 16. causæ secundæ aliquid verè efficiunt.

II. Probatur 1^o, ex Scripturâ Geneseos 1^o, *Germinet terra herbam viventem, & infra, Producat terra a-*

nimam viventem; Lucæ 21^o. Arborea cum producant jam ex se fructum. Ex Tridentino Sessione 6^a Canone 4^o, quod expresse definit, *Quòd respectu actuum supernaturalium habeamus nos activè, & non merè passivè, tanquam inanime instrumentam.* Quod omnino certum est, quia alioqui homines non mererentur, nec peccarent, ut patet, sed Deus, quod nullus dixerit. Undè patet non frustrâ causam creatam operari, sed secundum exigentiam potentiæ operativæ, quam habet, ut etiam ratione statim probabitur.

III. Probatur 2^o ratione, animalia motu fatigantur; nec est ratio, cur Deus creaturis esse concesserit, & non operari; imò sicut illis concessit esse, quidni